

DE CAUSIS CORRUPTAE LECTIONIS CUIUSDAM QUAM IN TACITI AGRICOLA INESSE SUSPICOR EMENDANDAE

Corrigenti quaedam errata typographica ut vocantur novae editionis Tacitei libelli qui vulgo *Agricola* inscribitur¹⁾ mihi repente perspicuum fuit in eo opere unam lectionem librarii manu corruptam adhuc inesse, quae quidem, cum omnibus codicibus unanimes tradita esset, neque ab editoribus umquam neque a commentatoribus opusculi umquam quantum scio suspecta sit, quamvis sit difficilis intellectus. Locus de quo agitur a recentioribus textus moderatoribus sic fere restitui solet²⁾: *pauci et, ut i{ta} dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus* (Agr. 3,2).

Ut supra non inclinatis ut aiunt litteris indicavi, suspicor lectionem manu scriptorum q. e. *senes* falso nobis traditam esse. Quare, id quod infra argumentis ut opinor sanis adhibitis probare aggressurus sum, nomen q. e. *senes* in *segnes* vertendum esse censeo. Nunc ad rem demonstrandam.

Tacitus in secundo capitulo (i. e. Agr. 2,3) de Domitiani temporibus atque tum amissa libertate dicens se suosque aequales grande patientiae documentum dedisse affirmaverat. Tum brevi spatio interiecto narraverat aetatem suam quasi iam renasci, praesertim cum Nerva et Traianus principatum iniissent (3,1).

Non est autem cur dubitemus quin Tacitus eam imaginem adhibuerit volens, quoniam pergit eandem fere sententiam evolvere, cum plane dicit se ipsum quoque quasi e mortuorum numero iam revocari (3,1)³⁾: *Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu etc.* His dictis incipit statum et corporis et animi sui accuratius describere se movens de corpore ipso ad statum mentis feliciter usus imagine aegri hominis, quae figura sermonis hominibus

11) This paper has benefited from the helpful criticisms of Thomas Gelzer, who is in no way responsible for its conclusions.

1) P. Cornelii Taciti De vita Iulii Agricolae librum edidit, commentariolo instruxit et illustravit Allanus A. Lund, Othoniae 1981.

2) Textum damus hic secundum editionem Rudolphi Till, Tacitus. Das Leben des Iulius Agricola, Berlin ²1975.

3) Cf. A. D. Leeman, The Prologues of Tacitus, Yale Classical Studies 23, 1973, 203sq.

antiquis omnibus et nota et in promptu erat, quoniam faciem vultumque hominis quodam modo ad habitum mentis respondere et referri posse arbitrabantur⁴⁾. Unde ei per analogiam ut ita dicam colligere fere haec licebat (3,1): *et ut corpora nostra lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris*. In primis autem tibi, lector, verba quae sequuntur ad eandem rem illustrandam observanda esse credo. Addidit enim Tacitus haec verba: *subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisae primo desidia postremo amatur*. Tacitus ea verba dicens re vera affirmare videtur, quod vi cogere agere id, quamvis tibi initio odio sit, ad extremum tamen semper tibi dulce esse eo quod incipiat pertinere ad tuam ipsam naturam et esse pars eiusdem, id quod a veteribus altera natura recte appellari solebat. Ut eam sententiam generalem concreto exemplo corroboraret, Tacitus in medium posuit quaestionem talem (3,2): *quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt?*⁵⁾

Deinde ad hanc quaestionem a se ipso quidem prolatam auctor tali fere modo respondisse videtur: *pauci et, ut i\ta\ dixerim, non modo aliorum* (i. q. promptissimorum ideoque a Domitiano interfectorum) *sed etiam nostri* (i. q. mei aequaliumque non promptissimorum) *superstitis sumus, exemptis e media vita tot annis* (i. fere q. nam mihi adhuc iuveni erepti sunt xv anni Domitiano regnante), *quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos* (i. e. ad fines extremae vitae) *per silentium venimus*.

Quis est quin iam intellexerit Tacitum ut eo verbo utar per antithesin ad eam quaestionem responsum dare voluisse? Neque enim dubium esse potest quin nomen q. e. *pauci* voci q. e. *multi* sensu ac vi oppositum sit, ne plura exempla afferam (vide supra). Nusquam vero quaerens reperias nomen quoddam significatione contrarium ab expressione verborum q. s. *promptissimus quisque, dico segnes*⁶⁾ sive *inertes* sive *desides*, quae res totum responsum quasi omni sensu denudat.

Restat iam, ut duae res difficillimae eiusdem responsi, quarum altera ad significationem verborum q. s. *tot annis, quibus* accuratius definiendam spectat, altera vero ad syntacticam structuram vocum q. s. *iuvenes ad senectutem, senes ad terminos venimus* diligentius excutiendam pertinet, disserantur. Si iam oculos ad illam arcte converteris, invenies Tacitum non *tot annis, quot* scripsisse, sed praeter consuetudinem Latine loquentium dixisse *tot annis, quibus*. Huius rei simplex causa est, quod de iis tantum xv annis agit, quibus Domitianus saevissimus princeps Romano imperio regendo praerat. Si enim Tacitus *tot annis, quot* posuisset, de quoquo numero incerto annorum locutus esset.

Quod autem ad hanc difficultatem (i. e. ad syntacticam constructionem) attinet, plane non dubito quin, quisquis in eam diligentius inquisiverit, eam mirabili quodam modo exstructam esse inventurus sit. Enuntiatum enim omne (sc. *iuvenes... , senes... venimus*) ad duo eademque diversa temporum momenta spectare quis est qui neget? Hoc impedimentum interpretores hunc fere in modum facile praeterire solent): „... da mitten aus dem (*melius*: unserem) Leben so viele Jahre

4) Cf. A. A. Lund, Three Conjectures in Tacitus' *Agricola*, Classical Quarterly 32, 1982, 180.

5) Puto tibi, lector, in memoriam revocandum esse quo modo H. Menge definierit usum quaestionis q. e. *quid, si*. Cf. H. Menge, Repetitorium, München 1963, p. 411.

6) Cf. Agr. 21,1 *laudando promptos, castigando segnes*.

7) Germanicam translationem damus secundum editionem Rudolphi Till supra citatam.

(*melius*: eben 15 Jahre) herausgeschnitten wurden, in denen wir junge Männer ins Greisenalter, die Alten beinahe an die Grenze des vollendeten Lebens gekommen sind im Banne des Schweigens“. Quis est quin neget ulla ratione fieri posse ut Tacitus et de se ipso et de aliis quibusdam locutus sit, quippe cum unum idemque verbum (*venimus* dico) cum duobus nominibus (sc. *iuvenes* et *senes*) ad diversa vitae temporum momenta attinentibus coniunctum sit? Consideranti contextum rerum verborumque quam accuratissime manifestum erit interpretatores textum in eam sententiam accepisse tamquam Tacitus ipse scripsisset: ‘iuvenes ad senectutem venimus, senes nostrum ad terminos . . . venerunt’ (cf. supra). Mihi quidem persuasum est non facile inveniri posse aliud, ne dicam ullum, exemplum Latine scriptum ei de quo disseritur simillimum, quo uno eodemque verbo ad duas eiusdem hominis aetates referatur.

Praeter quae supra iam dixi pauca addenda mihi esse videntur, quibus emendatio nostra adhuc probabilior fiat.

Primum enim et alibi apud Tacitum invenias adiectivum q. e. *segnis* cum eodem nomine (i. e. *silentio*) similiter coniunctum (cf. Ann. 16,5,1 *silentio* (i. q. per *silentium*) *segni praeteriret*)⁸).

Deinde in memoriam revocandum est adiectivum (sc. *segnis*) esse antonymum ut dicitur adiectivo q. e. *promptus* sensu ac significatione oppositum (cf. e. g. Agr. 21,1 *laudando promptos, castigando segnes*).

Tum referendum esse videtur iuvenibus apud Tacitum saepius inesse segnitiam quandam, senibus nusquam (cf. Ann. 4,59,3 *neque ausurum contra Seianum, qui nunc patientiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet*).

Praeterea quis est quin animadvertat quemvis librarium facillime *segnes* in *senes* mutare potuisse, praesertim cum nomen quod antecedit *senectutem* sit⁹?

Denique neque praetereundum esse puto, quid fuerit antiquis notio ipsa senectutis; cf. Cic. Cat. 85 ubi Cicero vim senectutis hunc fere in modum definit: *senectus . . . aetatis* (sc. vitae) *est peractio* (cura porro ut videas ThLL V 2, 1465, 66sq.). Unde ad extremum colligere nos licet Tacito fuisse iuventutem mediam vitae partem, senectutem vero extremam vitae partem.

Res tibi omnis luce clarior fiet, si in memoriam revocaveris quae dicit Tacitus noster de Gallorum amissa libertate (Agr. 11,4): *nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate*.

München

Allan A. Lund

8) Cf. Tac. hist. 2,34,1 . . . *ne ipsorum miles segne otium tereret*.

9) Cf. Caes. civ. 1,3,1 *laudat* (*promptos* add. Pantagathus) *Pompeius atque in posterum confirmat, segniores* (seniores TLUFD) *castigat atque incitat*.